



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...**

Libris Quatuor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conversione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1670**

85. Nostrorum opera Macai fructuosa & facultas habit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10757**

Sinas post longa exilia fidei. Breuiter ista legatio per biennium mota, per se malè conferta, peius à Pereriæ æmulis turbata, ominatissima fellit initia, & de prope iam parata faustitate in fumos abiit. Inter hæc nostri quotquot ex India in Iaponiam mittebantur, dum Macai, vt solet, demum mensium mora operiuntur in eam ventos, illic Apostolici tyrocinij perficiebant rudimenta, & conceptum ardorem caritatis alebant seruorum Sinensium variarumque nationum curanda salute, qui dabant operā Lusitanis dominis nongentis incolentibus Macaum mille, interdum ex iis fidei regulis instituebantur, fructu subinde numero celeberrimorum baptismatum; auellebantur ab impuro Herorum obsequio seruæ, & à Mangonum nundinatione; quinquaginta semel in Indiam supra quadringentas transmissæ sunt, maritis locandæ; Malacam ducentæ: & hæc eo ccepta biennio quo adornabatur legatio, in usum deinceps perpetuum transierunt. Accessit his Sodalitas frequens ex solis Sinensibus conflata, vt peculiari diligentia Christianis officiis, & virtutibus informati, exemplo apud suos & Magisterio fungerentur, quæ res vsque Quanceo trahebat complures ad cernenda explorandæque mysteria Theologiæ peregrinæ, quibus catè perspectis ardebant desiderio facti fontis, si per Mandarinos suos licuisset. Maiorem tamen frequentiam auebat Macaum sanctioris hebdomadæ, & Paschæ solennitas, quæ Lusitanorum consuetis & religiosis studiis celebrabatur nobiscum singulari pompa, & cui parem Sinenses magnitudinis suæ adoratores summi, negabant se vsquam vidisse, quæritabantque inter se taciti, quantam nostro in orbe & patria esse oporteret, illorum rituum maiestatem, qui arcto, nudoque in scopulo tam magnificentè agerentur. Valuit hic splendor, & reuerentia sacrorum ad conciliandos nobis Mandarinos, impetrandamque Macai habitationem tum iis paucis qui iam illic degebant tum qui Iaponiam adituri, ventos illic præstolarentur propitios, datum est diploma eius facultatis anno 1565. deditque Collegio felix initium quod illic P. Valignanus Goanis contra vi magna nitentibus denique stabiliiuit, ingens nunc rei Christianæ inter illos populos firmamentum. Biennium fluxerat in hac laboris fructuosi occupatione & euanuerat tandiù expectata legatio, cum Peres viam commentus est qua Christum se solo induceret in Sinas, planam, & eo expeditiorem quod nihil de lucro, & commodis olebat, quæ ferè Dei negotia corrumpunt: libellos itaque concinnauit duos, quo utroque manu periti interpretis exponebat quis esset? quid profiteretur? vnde? quàmve ob causam ex vltimis terrarum finibus venisset? postremo supplex fieri sibi copiam rogabat in Sinis habitandi; his instructus libellis, anniuersario oblata in templo Deiparæ, supremo sessit tribunali Prouinciæ Quanceensis, & absolutis quibuscum venerat Lusitanis, suo ad latus interprete, reuerenter procumbit in genua, sedebant Mandarini quinque, suprema quisque diuersis in officiis potestate, stabant magno vtrimque numero Ministri, sic venerabundi vt

85.  
Nostorum  
opera Macai  
fructuosa &  
facultas ha-  
bit.

86.  
Peres quia  
unicè igna-  
tus vetatur  
in Sinis ha-  
bitare.